Dissertatio medica inauguralis, de ictero ... / Eruditorum examini subjicit Dionysius Keogh, Hibernus.

Contributors

Keogh, Denis
Robertson, William, 1721-1793
University of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1783.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/pn443wz4

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ICTERO.

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Præsidis,
NECNON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consulto,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISque IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
Eruditorum examini subjicit
DIONYSIUS KEOGH,
ICTHERUS, R. O.
Soc. Phil. Edin. Soc. Honorar.

Prid. Id. Septemb. hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiæ Typographos.

M.DCC.LXXXIII.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini ſubjicit

DIONYSIUS KEOGH,
HIBERNUS,
Soc. Phyſ. Edin. Soc. Honorar.

Prid. Id. Septemb. hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.
M,DCC,LXXXIII.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

Gulielmo Power Keating French,

DE

De Connally, in Comitatu de Galway,

ICTERO,

Armigero

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Authoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIAE DUBLINENSIS CANCELLARII,

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

summisque in MEDICINA HONORIBUS ac PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

Hunc locum eruditorum examini subjicit.

DIONYSIUS LEOGH,

HIBERNUS,

In exiguum, sed sincerum, animi gratiae

Soc. Phyl. Edin. Soc. Medicinae

Phil. Ed. Sperans. Hora locetur folice.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

MDCCLXXXIII.

Viro Spectatissimo,

Gulielmo Power Keating Trench,

De Garbally, in Comitatu de Galway,

Armigero,

Curiae Hibernicae senatori integerrimo, &c.

Ob plurimas quibus insignitus est

Virtutes,

Summaque in se suosque collata beneficia,

Hasce studiorum primitias,

Qualescunque sint,

In exiguam, etsi sinceram, animi grati

Tesseram,

Qua par est observantia,

D. D. C Q.

A U C T O R.

Viro Spectatissimo,

Consanguineo suo,

Gulielmo Power Keating French,

PETRO MKEOGH,

De Garbally, in Comitatu de Galway,

Facultatis medicae Viennensis Doctori,

Armigero,

Nec non,

Curiae Hibernicae Iudicum Praesidi primo, &c.

Philosophiae in Academia Parisiensi

Ob plurimas quibus insignitus est

Doctori, et Medicinae Licentiato,

Virtutes,

Amicitiae fausta fiat,

Summaque in se mutuo collata beneficia,

In oppido Athlague, in comitatu de Roscommon,

Habe Iudicium primitias,

Feliciter exercendi,

Qualiscunque sint,

Hanc dissertationem,

In signum, cui lectorum, animi grati

Amicitiae perfectae pignus,

Tetigerunt,

Sacram esse sub

Qua par est conservanda,

D. D. C.

AUCTOR.

AUCTOR.

Item,

Consanguineo suo,

PETRO M'KEOGH,

Facultatis medicae Viennensis Doctori,

Nec non,

Philosophiae in Academia Praguensi

Doctori, et Medicinae Licentiato,

Artem salutiferam,

In oppido Athleague, in comitatu de Roscommon,

Feliciter exercenti;

Hancce dissertationem,

Amicitiae perfectae pignus,

Sacram esse vult

AUCTOR.

Item,

Conlaqueaco Iuo,

PETRO M'KEOGH,

Facultatis medicae Viennensis Doctori,

Nec non,

Philosophiae in Academia Pragensi

Doctori, et Medicinae Licentiato,

Arcem Falcifierum,

—

In oppido Athlegue, in comitatu de Roscommon,

Feliciter exercenti;

Hanoce differationem,

Amicitiae perfectae pignus,

Sacram alle vult

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

NASCENTE medica arte, praeter ſymptomatum narrationem, ſumma cum cura diligentiaque factam, nihil fere aliud medici lucubrationibus dignum habebatur: Creſcente autem ſcientiae aviditate, majorique animi virium uſu, philoſopho naturae myſteria inſpicere, ac cujuſque phaenomeni aptas reddere cauſas, tentante, tum demum medicus contemplationi incubuit, eumque ſubiit cupido uniuſcujuſque ſymptomatis rationem explicandi.

Circuitus ſanguinis inventio huic cupiditati favit, atque aliis indagationibus anſam

praebuit. Quare ſub idem tempus flavedinis icterum comitantis ratio reddita fuit, ſupponendo bilis quantitatem ſolito majorem in ſyſtemate ſanguifero circulare. Verum hoc minime contenti, ſumma inquietudine agitabantur medici, donec ulterius progrediendo modus ipſius in circuitum introductionis ipſis notus evaderet, atque hic etiam voto potiti erant, ſupponendo bilem per poros biliarios hepatis regurgitatam fuiſſe. Speciosa haecce theoria univerſaliter admiſſa fuit, donec lymphaticum detectum fuit ſyſtema, quo intimatur, illam hypotheſin naturae ſimplicitati magis eſſe congruam, quae ſupponit, bilem iis vaſis, quae in caeteris corporis partibus immediata abſorptionis inſtrumenta percipiuntur, ſorberi. Hoc factum eſt ut Galeni ſectatores in diverſas ſententias diſtracti fuiſſent, alii recenti, alii veteri opinioni, pro virili adhaerentes.

Me, lauream Apollinarem in illuſtriſſima hacce academia ambeuntem, cogunt ſapientes ipſius leges ad diſſertationis editionem,

onem, qua innoteſcat quantum in arte medicinali profectum feci. Ex ingenti morborum cohorte, humano corpori contingentium, eum tractandum ſeligo qui a Graecis Latiniſque Morbus Regius, Arcuatus, Aurigo vel Icterus denominatus fuit, ab Anglis *the Jaundice*. Morbus hic, aetati nulli nullive generi proprius, haud infrequenter medicorum attentioni ſubjicitur, ac, etſi detectu facilis, attamen practicam ſaepe eorum effugit peritiam. Veruntamen ut majori ordine procedam, inſtituatur neceſſe eſt

MORBI HISTORIA.

Ætati nulli nullive temperamento peculiaris eſt icterus; ei tamen magis opportuni ſunt adulti et aetate provectiores. Qui temperamentum cholericum ſortiti ſunt hoc morbo frequentiſſime affici dicuntur. Accedentem hunc morbum maxima ex parte

te * antecedunt languor atque laſſitudo totius corporis, tenſio pariter et dolor in hypochondrio dextro acutus, nonnunquam obtuſus. Plus etiam ſolaminis experitur aeger ſedens quam vel jacens vel exercitans. Nunc etiam tunica oculi adnata et ungues flavedine deturpentur inſolita, quae, ingraveſcentibus caeteris ſymptomatibus, magis fit colorata, perque omnes corporis, vel duriſſimas partes, diffunditur, adultoque morbo, externa omnia objecta quaſi flavedine tincta apparent. Cutis prurigo obtinet, ipſa areſcit, calorque mordax in naribus ſentitur. Morbi hujus impetum nonnunquam comitatur horror levis, quo obtinente, caloris gradus pulſuſque velocitas praeter ſolitum majores percipiuntur; in aliis caſibus deprimitur pulſus. A principio ſenſus ponderis, anxietas, et praecordiorum anguſtiae cum ſpirandi difficultate, ſentiuntur. Inertia, oppreſſione, ſomnolentia, afficitur aeger, et

* Nam hic obſervetur, flavedinem oculorum caeterarumque corporis partium nullo praevio ſymptomate accidiſſe.

et nonnunquam parum recreatus ſomno ſolvitur, dum alii capitis dolore et inſigni excruciantur vigilantia. Ægri appetitus et digeſtio attenuantur, atque poſt repletionem augetur praecordiorum oppreſſio, dolorque excrucians circa cardiam percipitur. Nauſea vomituſque haud infrequenter occurrunt. Saliva quandoque colore flavo tingitur, et quicquid ore ſumitur amareſcere videtur. Ingens aliquando ſitis. Urina flavo-rubra apparet, ſedimentumque luteum deponit, ita ut immerſis linteis vel chartulis croceo colore tingantur. Pigra plerumque ſtringitur alvus, et borborygmis, flatibus, atque torminibus, ſaepe vexatur aeger. Faeces alvinae pallent vel albeſcunt, foetorque, ſi non omnino omiſſus, magnopere diminuitur.

Haec ſunt omnia aut ſaltem praecipua quae in morbo regio obtinent; at ſi inveteraſcant ſymptomata, producitur iſta icteri ſpecies quae ab auctoribus *ater* vel *niger* appellatur. Status hic morbi tam nitide

ab

ab Aretaeo depingitur, ut ipſius verba hic loci praetermittere nequeam :

" Quicunque nigro arquato laborant, in " his ater color viridi commixtus apparet. " Iidem frigent, imbecilli, deſides, triſtes, " atque demiſſi animo ſunt. Tetrum odo- " rem exhalant, guſtatum amarum ha- " bent ; ſpiritum non facile ducunt : In " ventriculo morſum percipiunt, alvi ex- " crementa porracea, ſubnigra, arida " ſunt, aegreque deſcendunt. Urina be- " ne colorata eſt, ad nigrius vergens. Ad- " haec cruditate laborant, cibum deteſtan- " tur, vigilant, moerent, melancholia agi- " tantur *."

Cum ſtatum hunc attigiſſet morbus, vix medelam admittit ; nam corpus tamdiu ſolita privatum nutritione, ob morbum obſtinaciter praevalentem, exhauritur, hydropeque, haemorrhagia, aut ſudoribus colliquativis advenientibus, miſeranda vita cum optanda morte commutatur.

DEFINITIO.

* Vid. Aretaei lib. prim. cap. xv.

DEFINITIO.

Definitioni a celeberrimo Culleno traditae, utpote caeteris omnibus longe praeſtanti, adhaerendum mihi videtur.

" Flavedo cutis et oculorum; faeces
" plerumque albidae; urina obſcure rubra,
" immiſſa colore luteo tingens *."

DIAGNOSIS.

Symptomata quorum in definitione mentio fit, ita huic morbo propria ſunt, ut nullibi obtinere queant, quin revera adſit icterus; quare inutilis forſan evadet diagnoſis. Verum, quoniam in morbis nonnullis, ut in febre flava Indiae Occidentalis, in chloroſi, et in iis a venenoſorum animalium morſu oriundis,

* Gener. Morb. Cullen. G. xci.

oriundis, flavedo percipitur, haud caſſe me operam navaturum occurrentis hujus ſymptomatis rationem reddendo, quae ad rectae diagnoſeos inſtitutionem conducat, arbitror. Medicorum plurimorum auctoritate fretus, aſſerere auſim, in febre flava Indiae Occidentalis, ſymptomaticum exiſtere icterum, qui originem a nimia bilis ſecretione ducit; cui favent conditiones nonnullae in tempeſtate et in plaga ubi morbus obtinet, taleſque conditiones bilis ſecretionem ſolito majorem producunt, idoneo corporis ſtatu prius inducto. Qua auctoritate innixus, aſſeruerim auctam bilis ſecretionem icterum gignere, ex dicendis innoteſcet.

In chloroſi nonnunquam percipitur flavedo, quae, me judice, oritur a ſyſtematis laxitate, ſanguiniſque tenuitate, locum ſeri effuſioni praeſtantibus, oritur. Flavedo praeterea, hunc morbum etſi diuturnae durationis, comitans, non eſt aeque colorata ac in ictero ejuſdem continuationis; deſuntque tenſio atque dolor circa hepatis regionem, vel ante, vel per icteri curſum haud infrequenter percipienda;

percipienda ; desunt insuper faeces albidae, &c. unde fit ut facilis instituatur diagnosis.

Quod autem ad flavedinem animalium venenosorum morsibus oriundam attinet ; imprimis semper generalis non est, sed laeso membro fere propria ; non primo in tunica albuginea oculi percipitur ; desuntque faeces albidae atque urina obscure rubra, &c. quarum in definitione mentio, potuisque a quadam seri mutatione quam ab absorpta bilis quantitate oriri videtur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

De praedispositione, nihil fere certi adducitur, siquidem exigua inter hunc morbum et vitae genus, diaetam seu plagam connectio interesse videtur. Homines autem sedentarii, eique qui ingratis animi affectibus premuntur, frequentius ictero laborare dicuntur ; hinc orta observatio foeminas huic morbo viris esse opportuniores, literatos, prae caeteris hominibus, quia nempe

minore exercitatione utuntur. Hic obſervare abs re non erit, immodicum potus validi uſum, juxta nonnullos, tot hepatis morbis ortum praeſtare, quot, aliud quodvis, unde juxta eoſdem pro cauſa icteri praediſponente habetur.

In plethoricis, quum ſanguis nimiam ad vaſorum vim proportionem dicit, elanguet circulatio, praeſertim in vena portarum, fitque languidus per hepar motus, qui morbo pradiſpoſitionem inducere forſan poteſt.

Subſequitur etiam, ut ex obſervationibus patet, menſtruorum ſeu haemorrhoidalium fluxuum obſtructionem, intempeſtivam intermittentium medelam, imprudente corticis Peruviani uſu, inſuper in hypochondriacis et hyſtericis occurrit. In calidis regionibus atque tempeſtatibus, augentur bilis ſecretio et excretio, unde nova icteri productioni praediſpoſitio.

CAU-

CAUSÆ OCCASIONALES

In ſequentes dividi poſſunt,

1mo, Quae ductuum latera comprimendo bilis in inteſtina deſcenſum impediunt.

2do, Quae in canalibus exiſtentes eos obſtruunt, et bilis excretioni interruptionem inferunt.

3tio, Tunicarum morbi, qui tranſeunti in duodenum bili impedimento ſunt.

4to, Eae cauſae quae auctam bilis ſecretionem excitant.

Inter cauſas primo modo agentes, hae praecipue audiunt. Inflammationibus ſeu ſchirris oriundi tumores, in hepate, pancreate, ventriculo, duodeno, glandulis meſentericis, omento, partibuſque vicinis. Hi comprimendo ductus, adeo ut impediatur bilis in inteſtina tranſitus, icterum producere inventi ſunt. Adnaſcente carne prope ductum communem, morbus pariter exo-

riri

riri videtur *. Gravidas etiam mulieres nonnunquam ſubit, ex eo quod tumidus uterus comprimat ductus; poſt partum autem evaneſcit. Flatibus ac induratis faecibus ita diſtendi poſſunt inteſtina, ut, diſtenſione, latera ductus communis, ubi oblique per duodenum tranſit, conjungantur, biliſque in inteſtina introductionem impediant; quare inter cauſas occaſionales recte recenſentur.

2do loco conſiderandae veniunt cauſae quae in canalibus exiſtentes bilis excretioni interruptionem inferunt; hujus generis ſunt *concretiones calculoſae*, quae inter omnes icteri cauſas primum ſibi locum vindicare merito videntur; haud infrequenter in cyſtide fellea eam maxime diſtendentes, in ductibus biliariis quos opplent, at rarius in poris biliariis et hepatis ſubſtantia, inveniuntur. Harum natura adhuc minus inſpecta eſt; probabile tamen eſt vim quandam attractivam inter ſtagnantis bilis particulas

* Vid. Bonet. l. iii. ſect. 13. obſ. 13.

ticulas exiſtere, quae his originem dat. Cui hypotheſi robur impertit V. Swieten experimentum, quo conſtat bilem in vitreo vaſe, ut in putredinem abeat, incluſam, grumos depoſuiſſe calculoſos.

Biliarios inter et ſalivarios, atque etiam urinarios, caeteroſque corporis calculos, verum intereſt diſcrimen. Improprie quidem lapides nominantur, ſiquidem nec lapidoſa nec terreſtris materia eorum compoſitionem ingreditur. E materia ſebacea componuntur, reliquis oleis animalibus ſpiſſiore, ſoliditate ſpermae caeti haud abſimili. In biliariis concretionibus inſignis a centro verſus ſuperficiem adeſt cryſtallizatio, per lapidis centrum conſecanti apparebunt radiatae cryſtallizationes, internae ſuperficiei perpendiculares; percipitur fuſcae materiae nucleus, quem cryſtallizata circumdat materies, ſuper qua ſubnigrum forſan et coagulatum ſtratum cum cruſta exiſtit. Aqua calcis, faecibus alkalinis, vel ſapone minime afficiuntur calculi, ſuntque in hoc ſpermae caeti analogi. Horum plerique in aquam immerſi ſupernatant,

dum

dum nonnulli fundum ſtatim petunt. Magnitudinis formaeque diverſae, frequentius autem angularis, ſunt. Abſque gravi aegrotantis dolore calculi in cyſtide diu adeſſe poſſunt. At ſi, per validam exercitationem aut corporis commotionem, calculus in ductum cyſticum protrudatur, modo peramplus ſit, icterum producet ductum communem comprimendo. Verum, ſi in hunc admittatur, coerceri poterit in deſcenſu ubi duodenum ingreditur communis ductus, ſicque icteri cauſa evadet. Quando hicce morbus calculo communi ductu inhaerenti tribuendus eſt, modo calculus irregulari forma donetur, corporiſque agitatione, aliave qualibet cauſa, ita ſitus ſit, ut canalem accurate non occupet, et bilis deſcenſionem omnino non impediat, gradatim evaneſcit morbus, donec caſu aliquo ita ſitus evadat calculus, ut canalem impleat, atque ſic morbus reproducatur. Hoc modo icteri periodice recurrentis ratio redditur; verum ex aliis cauſis, ut viſcida bile, vel ſpaſmo, originem ducere poteſt.

In

In hominibus ſedentariam vitam degentibus, occurrit icterus a bilis in cyſtide manſione, quae adeo ſpiſſa facta eſt, ut aegre per ductus tranſeat, et quamvis per cyſticum ductum tranſiiſſet, ac inferiorem communis ductus extremitatem attigiſſet, tamen ita viſcida eſſe poteſt, ut per eam partem, quae oblique duodeni membranas intrat, tranſire nequeat, atque creabitur morbus, qui quidem diu non perdurabit; nam emeticis aut catharticis cito removetur.

3tio, Poſt plurimas diſſectiones, ipſae ductuum tunicae morbi ſedes reperiuntur; conſtatque ex obſervationibus anatomicis, eas ita condenſatas, et etiam oſſificatas eſſe, ut bilis in inteſtina tranſmiſſioni impares prorſus ſint, nullumque canalis ſuperfuiſſe veſtigium, quibus in caſibus lethalis eſt.

Animi affectibus, aut vehementi exercitatione oriundus, ductuum ſpaſmus plerumque inter icteri cauſas recenſetur, quamvis nuperis diebus a primae notae viris negetur, qui aſſerunt, nullam cyſtidis vel ductuum tunicam muſcularem poſt diſſectio-

nem

nem percipi; poſt irritationem nulla frui contractionis vi; et denique, ſi ſpaſmus icterum producere poſſit, multo frequentius occurreret. Ut his reſpondeatur difficultatibus innoteſcat, ex eo quod muſculares fibrae non percipiantur, concludi non poſſe, eas non adeſſe; nam plurima in aprico ſunt exempla, quae probant, poſt diſſectionem, nullam fibram muſcularem detectam fuiſſe, attamen muſcularem extitiſſe actionem. Quod autem ad vim contractionis attinet, certe aliquid erroris neceſſario hic ſupponendum; nam modo vi muſculari priventur, quomodo explicabitur bilis a ductu hepatico in cyſtidem aſcenſio? quomodo obtuſi doloris cyſtidis diſtenſionem, aut acuti doloris calculorum per ductus deſcenſum comitantis, ratio reddetur? quomodo etiam opii caeterorumque antiſpaſmodicorum uſum in ictero removendo explicare poterimus? Denique, ab hiſce conſiderationibus, et aliorum vaſorum excernentium analogia, maxima datur ratio cur ſupponamus, ductus biliarios muſculari vi non

deſtitui,

deſtitui, eorumque ſpaſmum icterum producere poſſe; neque enim ultimum a ſpaſmi adverſariis allatum argumentum contra hanc ſuppoſitionem facit; nam in aliis exemplis obſervatum eſt, teſtis inflammationem animi affectus ſubſecutam fuiſſe; verum hoc rarius occurrit, neque ſemper animi affectibus producitur.

4to capite comprehenduntur cauſae auctam bilis ſecretionem excitantes. Frigus corpori applicatum, ſanguinem ad partes internas determinando, hunc producit effectum. Emetica fortia, viſcera abdominalia agitando, circuitum expediendo, ductuſque biliarios emulgendo, bilis ſecretionem augent. Purgativa draſtica, inteſtina irritando, ob nexum cum hepate, eodem modo agunt. Denique, ſtimuli omnes corpori applicati, et praecipue hepati, hujus generis effectus edunt. In priori hujus diſſertationis parte praemonui, me auctoritatem prolaturum, cur ſupponerem icterum ex aucta bilis ſecretione enaſci poſſe. Hoc quidem ſuadet Monroius, cujus et anatomi-

cam et phyſiologicam praeſtantiam nemo neſcit. Hanc opinionem amplexus eſt, quia ratum habebat, in febre flava Indiae Occidentalis tantam adeſſe bilis redundantiam, ſingulari cuidam febris in hepar actioni tribuendam, ut vomitu et alvi levatione redderetur; et inſuper ex eo quod infantes ſtatim poſt. partum nonnunquam (nam ſaepius mucoſa ſeu glutinoſa materie ductui communi inhaerente exoritur) cutis oculorumque flavedine dehoneſtantur, dum bilioſa laborant diarrhoea, quod demonſtrat ductuum obſtructionem non obtinuiſſe. In duplici caſu ſupponit bilem, ſano corpore, vi ſtimulante, concoctioni et inteſtinorum actioni inſervire, ſed, ipſo infirmo, cum major adſit bilis quantitas, tunc ſtimulum augeri, majoremque fieri bilis abſorptionem, quod ictero locum praebet.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Enumeratis modo ſatis luculenter remotis icteri cauſis, ſtabilienda nunc ſupereſt cauſa proxima, aut ea qua bilis per corpus diffunditur.

Nunc dierum, indigna forſan habebitur doctrinae memoratio, quae olim in medicinae ſcholis floruit; ea nempe quae ſupponit impeditam bilis ſecretionem cauſam eſſe icteri proximam. Admiſſa autem ex omni parte hujus ſententiae abſurditate, ſtatim ad inveſtigationem doctrinarum regurgitationis et abſorptionis memet accingo.

Quoad regurgitationem, ſi enumeranda ſuſcipiam omnia argumenta quae ad hancce opinionem ſuffulciendam allata ſunt, debitos hujus opuſculi fines egrediar neceſſe eſt; praecipua igitur tribus ſequentibus contenta, ſolummodo proferam. 1*mo*, Ad ſtabiliendam hanc opinionem, aſſertum fuit, regurgitationem

gurgitationem in ſyſtemate tum arterioſo tum venoſo locum obtinere, ac proinde nullam eſſe rationem quare in bile non contingat. Verum claudicat haecce analogia; nam ſecretioni adhibetur quod in circuitu generali accidit, nihilque ex hoc deduci poteſt quod opinioni faveat. Notatu quidem digniſſimus foret caſus regurgitationis, fluidi ſecreti in progreſſu impediti, in ſyſtema ſanguiferum, attamen ne quidem hoc extra litem conſtitueret rem; nam tam frequenter falſa probatur analogia, ut nullatenus ad veritatem aſſerendam ſufficiat; neque enim creditu facile eſt, talem qualem depingit Euſtachius, ſuique ſectatores, retrogreſſum, obtinere poſſe, propter anaſtomoſes; verum eſto ad inſtans, quod haec vera ſint, eſto quod bilis regurgitetur. Si tantilla reſiſtentia bili in ſyſtema ſanguiferum repellendae aequa ſit, procul omni dubio idem effectus produci debet premendo ductus dum fluido diſtenduntur; ſi ulla autem illuſtriſſimo Monroio fides habeatur, conſtat, ductus animalium

hepaticos,

hepaticos, impoſitis ligamentis, fluido diſtentos, maximae preſſionis ope, talem producere non poſſe effectum; citius etenim ipſi ductus, quam partes ulteriores, cederent. Initiſque examinibus compertum eſt, nec communicationes cum ſanguine auctas eſſe, nec bilem in hepatis vaſis repertam eſſe.—2*do*, Aliud argumentum ab hujus ſententiae fautoribus, hoc eſt nimirum, injectiones a ductu hepatico in venam portarum et venam cavam propelli poſſe. Verum, ex auctoritate illuſtr. Monroi, Hunteri, et Hewſonis, hoc nunquam, illaeſis vaſorum tunicis, contingere aſſero. Atque, ut hoc clarius probetur, injectiones ſemper inveniri in bullis diverſis, a ſeſe aliquatenus diſtantibus, ac nullatenus ordinem in ſanguinis circuitu perceptum tenentibus, notetur. Et certe Hallerus ipſe, atque Mecklius fateri coguntur, majorem eſſe reſiſtentiam hac in corporis parte quam in ulla alia; ac pro certo noſcimus, validos conatus ad tenera haecce vaſa diſrumpenda neceſſarios minime eſſe. Praeterea

non

non magis regurgitationi quam abſorptioni favet praefatum argumentum; quia nempe multo facilius vaſa lymphatica e ductu hepatico quam venae cavae hepaticae injiciuntur.—3*tio*, Ad ultimum nunc argumentum devenimus, quo aſſeritur, calculum in ductu cyſtico repertum fuiſſe, et ipſam cyſtidem diſtentam, ac tamen aegrotum ictero non laboraſſe. Quoniam autem in praedicto caſu bilis ex hepate in inteſtina deſcenſio impedita non fuerit, evidens emanat concluſio, ſcilicet, allatum argumentum nec ullum robur regurgitationis, nec ullam objectionem abſorptionis doctrinae praeſtare. Partes fluidiores per vaſa lymphatica abſorptas fuiſſe, extra dubii aleam conſtituit liquoris in cyſtide viſciditas, atque niſi invicte demonſtretur, cyſtidis contenta per longum temporis ſpatium in veſica fellea remanſiſſe, nihil ſane lymphaticorum viribus adverſum deduci poteſt, neque ulla propitiis pro regurgitatione concluſionibus anſa ſuppeditabitur.

Perpenſis

Perpenſis igitur maximi momenti argumentis regurgitationi faventibus, eorumque ineptia ſtabilita, rationi conſonum me acturum arbitror, aſſenſum, quem tali opinioni denego, abſorptioni praebendo, et poſterioris ſententiae ſectatoribus ea praeciſe ratione adhaerendo, quod plurima argumenta, quorum enumerationem breviter ſuſcipiam, in aprico ſint, quae rei veritatem luculenter evincant.

1*mo*, Vaſorum lymphaticorum commune eſt officium, partem uniuſcujuſque fluidi in diverſis corporis cavitatibus ſecreti abſorbere aut imbibere.

2*do*, Lymphaticorum circa quodlibet viſcus contenta praeciſe quadrant cum ſecreto talis viſceris fluido.

3*tio*, Abſorpta quantitas lymphaticorum numero atque magnitudini proportionem dicit.

4*to*, In hepate inveniuntur lymphatica numero plura quam in ullo alio abdominis viſcere.

5*to*,

5to, Fluidum in lymphaticis, coagulatam bilis partem, ſpiſſitate aequans, detectum fuit.

6to, Innumera extant exempla abſorptionis ſubſtantiarum vel acerrimae bili acrimonia haud inferiorum.

7to, et *poſtremo*, Oſſium atque thymi ſubſtantia per lymphatica abſorbetur.

Singulatim expoſita lymphaticorum in hepate proportione, quaeretur forſan, quare ſemper bilem non imbibant? Reſponſionis loco obſervetur, aequam eſſe ſuppoſitionem, talem introductionem aliqua ex parte obtinere; at motus bilis poſt ſecretionem in hepate impedit, quo minus patula eorum ora recte applicentur. Ab Hewſone praeterea probatum eſt, plura requiri, ut generalis lymphaticorum circa canalium cavitatem actio producatur.

In inteſtinorum injectione, ut idem obſervavit, cum tunicam villoſam penetraviſſet injectio, villos erectos eſſe, eorumque extremitates ſpongioſas et poroſas, et lymphaticorum orificia nunquam niſi poſt perfectam

fectam villorum erectionem, ad munus apta esse; hinc igitur ait,

"Whenever much absorption is required here, a certain degree of stimulus and distension must take place, to render the blood-vessels of the villi turgid, that the orifices of the lymphatic vessels may stand open, and be capable of attracting, like capillary tubes."

Jam vero eidem arguendi methodo insistere possumus quoad ductus biliarios; nam tunicis musculari et villosa donantur, quae, cum progredienti bili nullum sit obstaculum, relaxantur, atque in hoc statu vis orificiorum valde imminuta est; verum, juxta praeclarum Hewsonem, dum ductus obstruuntur, et bile distenduntur, augetur orificiorum vis, fiuntque ad absorbenda fluida aptiora.

Contra hanc opinionem urgebitur forsan ascitis casus, in quo distensio revera adest absque aucta absorptione; huic vero argumento obviam ire inutile foret, quia conditiones praedictae in canalium cavitatibus

locum tantummodo obtinere ſupponuntur. Praeterea, haecce affectio a lymphaticorum morbo, aut ab impedito lymphae in receptaculum chyli progreſſu, originem ducit. Recte igitur perpenſa argumenta haec, tanti, ut opinor, erunt ponderis, ut bilis abſorptionem praeternaturalem cauſam icteri proximam invicte ſtabiliant.

QUORUNDAM SYMPTOMATUM EXPLICATIO.

Languor et laſſitudo.—In frequentiſſimo icteri caſu, impedita ſupponitur bilis in duodenum deſcenſio, quo fit ut inteſtina, ſolito privata ſtumulo, torpida evadant, et inertia, ac, ob ſympathiam ventriculum inter et inteſtina, per totum corpus generalis languoris et torporis ſenſus diffunditur.

Tenſio et dolor in hypochondrio dextro, —Ab accumulata in cyſtide bile ipſius tunicas gradatim diſtendente, ac dolorem obtuſum

tuſum producente, pendent; at cum acutior ſit dolor, hoc irritationi aut diſtenſioni, calculorum deſcenſu oriundis, tribuendum; nam eo acutior aut obtuſior erit dolor, quo majores aut aſperiores fuerint calculi.

Oculorum, cutis, urinae, ſalivae, &c. flavedo—Pendet a miſtura cum ſanguine bilis abſorptae, quae in circuitum reſumpta, ſecretiones omneſque corporis partes afficit, majore albugineae albore, mutationem oculi magis ſenſilem efficiente. Viſio flava a tinctis oculi humoribus, qui objecta quaſi per flavum medium repraeſentant, pendet.

Corporis pruritus, calorque mordax in naribus.—Communicata cutaneis nervis irritatio, bile, cum materia perſpirabili mixta, et ſenſilitas nervis Sneiderianae membranae propria, hoſce effectus explicatu faciles reddunt.

Senſus ponderis, anxietas, praecordiorum anguſtia, ac ſpirandi difficultas—Explicanda eveniunt, vicinis hepatis vaſis cyſtidis et ductuum diſtenſione compreſſis, unde ſanguinis circuitu obſiſtitur, ac in pulmonibus formatur

formatur congeſtio, caetera producens ſymptomata.

Nauſea et vomitus,—Plerumque a conſenſu ventriculum inter et reliquum corpus pendent. Nonnullis in caſibus, nauſea vomituſque duodeno calculis irritato exorietur.

Pigra ſtringitur alvus, faeces albeſcunt, &c.—Bilis cum ſanguine miſtura non ſolum eſt detrimentum ex tali eventu repetendum, cum ad alvum ſtimulandam, alioſque ſalubres edendos effectus adeo neceſſario ſit; nil igitur mirum ſi, ipſa abſente, adſint obſtipatio, aliaque jam recenſita ſymptomata.

PROGNOSIS.

Exiguae erit durationis icterus, remotis, ſive natura ſive arte, cauſis eum inducentibus. In juvenibus ac robuſtis, quam in ſenibus infirmiſque, minus adeſt periculi.

Si

Si ab hepatis aut partis adjacentis ſchirroſitate, aut concretu, aut ductuum oſſificatione repetatur morbi origo, exitialis plerumque evadit. Hydrope, haemorrhagia, aut ſudoribus colliquativis ſupervenientibus, medelam vix admittit morbus. Sudor autem naturalis proſpero eventu accidit, ac diarrhoea bilioſa morbi reſolutionem inſecuta eſt. Urina pallida, dum flaveſcit cutis, mali ominis eſt, oppreſſio ingens, animique deliquium, mortem portendunt. Haec omnia accidant; ſed quoniam ſuperius dixi calculos multo frequentiſſimas eſſe hujus morbi cauſas, et equidem pauci ſanantur qui calculos cum faecibus non evacuaverint; idcirco, maxima ex parte, foelicem icteri exitum ſperare poſſumus, eo majore vel minore periculo comitatum, quo magis vel minus cum aliis morbis nectatur, quo plus minuſve febris adſit. Icterus a leviore hepatitide natus, quae per benignam reſolutionem curari poteſt, facile cedit.

MEDENDI

MEDENDI RATIO.

Ut ictero occurratur, quamplurimum causae occasionalis naturae attendere debet medicus. Quatuor sequentes stabiliendae sunt indicationes,

1*mo*, Viscerum in communem ductum pressionem auferre.

2*do*, Causam obstructionis in ductu ipso submovere.

3*tio*, Ductum tunicarum morbis obviam ire.

4*to*, Bilis secretionem minuere.

Viscerum in communem ductum pressionem auferre.—Ad huncce finem assequendum, febris gradui morbum comitantis sedulo est attendendum; ac, modo gravis sit, suspicandi locus dabitur generis inflammatorii tumorem ductum comprimentem esse, et inflammationi, sanguinis missione, ac antiphlogistico

phlogiſtico regimine, obviam eundum eſt. At, ſi tumor ſchirri naturam induit, difficillime reſolvetur, etſi mercurio, pulſatilla nigricante, cicuta, aquis mineralibus, ſale alkalino aut neutrali, utamur. Verum, ſi caro adnaſcens ſit obſtructionis cauſa, uti removeri non poteſt, ſic morbus inſanabilis.

Cauſam obſtructionis in ductu ipſo ſubmovere.—Hujus generis, ut antea dixi, ſunt calculi, bilis viſcida, aut materies mucoſa, et, ut ea ſubmoveamus, tentanda eſt ipſorum expulſio ſeu evacuatio. Ex praedictis liquet, quam incaſſi fuerint conatus omnes calculos ſolvere mediis ad id efficiendum uſurpatis, *viz.* Gramine, aqua calcis, ſapone, alkalinis ſubſtantiis, aqua aëre fixo impraegnata, et ſpiritus vini cum oleo terebinth. miſtura, quorum nonnulla extra corpus huncce effectum facile edunt; ſed ex eo, quod hoc extra corpus accidat, an exinde ſequitur hoc idem intra corpus contingere? Nonne probandum ſupereſt, haec ita immutata calculum attigiſſe, ut optatum producere valeant effectum. In hoc morbo,

morbo, quando gramen, ſapo, vel ſubſtantiae alkalinae utilia fuere reperta, non, ut mihi videtur, calculos ſolvendo, ſed potius inteſtina ſtimulando, partiumque conſenſu, obſtructionis expulſionem promovendo. Emeticis ſecunda aut tertia quaque die repetitis, ineunte morbo, corpus agitando in calculis, viſcida bile, aut materia mucoſa expellendis, fauſte utimur; praeterea abſorptioni favent, ac ita dolorem, e veſica fellea bile diſtenta ortum, ſaepe minuunt. Quoniam vero unicuique morbi generi accommodata non ſint, niſi primis diebus utilia inveniuntur, diutius adhibenda non ſunt. Laudantur etiam acria cathartica ad promovendam calculorum, bilis viſcidae, faecum induratarum expulſionem; verum tanto, quanto emetica, commodo non uſurpantur. Purgativa attamen, prout res popoſcerit, ſalis Glaub. rhei ol. ricin. aloes, uti aegri guſtui gratius, bilis locum in inteſtinis ſupplendo, optimos edunt effectus, removendo eorum torpiditatem, ac promovendo obſtructionum evacuationem. Nimius autem eorum

rum uſus debilitatem inducit, ac itaque caute ſunt repetenda. Enemata non modo bilis vices aliquatenus gerunt, ſed etiam ut fomenta utilia inveniuntur.

Ductuum tunicarum morbis obviam ire.— Hic operam ludimus ſi in ictero, oſſificatione, aut ductus communis concretu oriundo, medelae ſtudemus, nil poteſt ars, ac morbo plerumque obruitur aeger. Quando autem ſpaſmus unice agit, aut cum calculo ductui inhaerente conjunctus, antiſpaſmodica indicantur, ut balneum tepidum, fomentationes, opium, *&c.* quibus ſummo commodo utimur, dolorem calculo productum mitigando, irritabilitatem minuendo, ſpaſmum leniendo. Opii uſu augetur alvi adſtrictio, cui laxantibus occurrendum eſt.

Bilis ſecretionem minuere.—Cum ab aucta bilis ſecretione pendeat icterus, inteſtinorum irritatio, valida exercitatio, ac caloris augmentum, ſedulo ſunt vitanda; ſanguinis ad hepar determinatio diverti debet, ſanguinem in vaſa extrema modo minime ſtimu-

lante propellendo. Si autem a duodeni contentorum acrimonia originem ducat aucta ſecretio, purgativis draſticis neglectis, eorum loco ſufficiantur mitiſſima laxantia ad eam removendam. Diluentia ad acrimoniam minuendam uſui ſunt; ſed cavendum eſt ne nimis calida aegro dentur.

Haecce remedia ſunt, quae in ictero utiliſſima reperta ſunt; ſed notatu indignum forſan haud foret, nonnullis in caſibus, quando urina maxime biliofis particulis tincta fuiſſet, minus periculi adfuiſſe, ac exinde ortum eſſe diureticorum uſum; ad ſanationem autem perfectam parum conferunt, ſed, modo uſurpentur, diluentia anteponenda ſunt. Notum quoque eſt, ſudorem naturalem ictero finem impoſuiſſe, hincque diaphoreticorum uſus; ſed his pariter praeferantur diuretica, et quoties ſuſpicandi anſa praebetur inflammationi diſpoſitionem praevalere, toties caute a ſtimulantium diaphoreticorum uſu abſtinendum.

Equitatio atque ambulatio praeſtantiſſima

ſunt

ſunt remedia, fere nunquam omittenda. Torpore atque languore obrutum aegrum ſublevant, ciborum appetentiam afferunt, leniter obſtructionum expulſioni favent, cumque ſtomachicis, amaris, atque diaeta valente conjuncta, tonum ventriculi totiuſque ſyſtematis reſtituendo, utiliſſima.

FINIS.